

circumferunt miracula, multo vulgi stupore, ut multa flammis ardere faciant, urere nequaquam. Fluor ergo flammam concipit, et ardet aliud nihil, quam fluor. Si e tali fluore sint astra a Conditore constituta, ea ardere et flammam esse nihil fuerit mirum. Atque ita verum Philo dixerit de Sole, φλογὸς πύλημα πολλῆς flammæ compagem multæ eum esse.

Sed si tertium ignem φῶς, lucem dicamus esse astra, simul scilicet compactam, quibus, apud nos similibus id comprobabimus? Si alicubi lux sola congregetur, et sui vel flammæ etiam, faciem ostendet. Experimentis multis norunt id, qui noctu navigant. Nam ubi remi in salum immerguntur, innumeræ ibi apparent stellulæ. Plures sub puppi, ubi temo aquam findit, omnes calore nullo, nedum ardore. Mira res in Cypro nobis accidit dum in agro Callopsidæ versaremur sub vesperam. Tum nubes nigerrima ab horizonte Austrino, ad medium fere cælum est protensa, tempestatem minabatur magnam. Tunc versis equis domum revertebamur. Illa in medio itinere in imbrem magnum est soluta, sine vento, crebris micationibus. Is imber, nos obruit. Videbam ego quidem in summis equi auriculis et crinibus, guttulas eius multas, quæ frequentibus nobis fulgurationibus, lumine plenas. E pileo nostro pendentes alias non paucas. Et e pallio quo eram involutus, aliæ tales sine numero. Iurarunt postea, socius et famulus, se certo credidisse, dum id viderent, me totum combustum iri. Tales luces veteres nautæ et poetæ, fratres Helenæ, lucida sidera, nominarunt. Nostrates, Sancti Hermi appellant lucem. Contigit etiam eadem in insula, ob nimios die calores, noctu iter facere. Stellam lucidissimam, earum quas cadentes vocitant, ante pedes cadere conspeximus, inter herbas Sole iam are factas. De equo statim descendimus, eoque ubi ceciderat accurrimus. Ambusti, aut adusti illius foeni, nihil vidimus. Tam rara ea fuerat flamma, ut luceret tantum non etiam ureret. Ad fauces Arsizæ fluvii, qui finis est Italiæ et Liburniæ, supra piscatores quosdam flamma ingens in sublimi apparuit. Quæ paulatim descendens, et eos, et naviculam cooperuit. Paulisper morata evanuit, nihil eis vel pannorum, vel capillorum, nedum lignorum adussit. Postridie illac iter facienti mihi, rem narrarunt, multisque confirmarunt iuramentis. Interrogavi, an quid sensissent caloris, exiguum valde, responderunt. Experimenta duo priora, lucem probant aquæ indi, in eaque veluti coagulari. Duo hæc posteriora, probant eandem tenuissimo vaporis. At omnes, lucem in alio corpore, veluti accidens esset, collocant. Idque non mirum, quia et anthraces apud nos et flammæ, in alio sunt corpore, ligno, et fumo, quia materiales sunt, et mortales. At cælestes ignes, et immortales sunt, et immateriales. Et hæc sunt ab illis participatæ. Et veluti, ab identitate, in alteritatem deciduæ. Et nos in *Panaugia* iam probavimus, lucem esse sui natura, substantiam, et per se stare. Id et nunc repetimus, præsertim cælestem lucem id a Conditore ab initio obtinuisse. Atque hinc sequi, ut sidera lux coagulata, et quasi compacta esse queant, et loco Philonici illius dicti, de Sole eum esse, φλογὸς πύλημα πολλῆς. Flammæ compago multæ, dici queat φωτὸς πύλημα πολλοῦ. Lucis compago multæ, de astris omnibus. Sed si recte experimenta illa allata, considerentur, simul cum aliis similibus innumeris, et flamma lux est densior, uti iam dictum et lux flamma est rarior, et pro raritatis, et densitatis ratione ac portione, vel calent magis, vel calent minus, vel calent in sensibiliter, vel calent fervide. Nam et radii, qui confessione omnium sunt lux, et calent, et calent magis, et calent minus. Et lux qui in guttulis circa remos, et fratres Helenæ nautis apparet, et nos circumdederunt, quamvis pusillum nihil obstante aqua de se proferunt teporem. Fluor enim omnis ille primævus, per omnia sparsus sicuti lumen, ita et calorem sibi imbibit, et sine eo esse nequit.

Sed unde tanta est et siderum, et siderearum lucium varietas? Et magnitudinum differentia? Et positionum atque intervallorum diversitas? Causa quidem harum rerum effectrix, sicuti et aliarum omnium est Conditoris, et bonitas, et sapientia, et potentia, qui entia cuncta, ab initio, numero, pondere, et mensura effecit, et disposuit optimis. Neque enim meliora, aut melius, vel effici, vel disponi, et in ordines suos digeri potuerunt. Formam vero cuique stellæ ita propriam indidit, ut nulli aliæ communis esse posset. Quarum forma cum lux